

Quotquot homines eruditi de artis scenicae natura, iisque, quae in ea temporum progressu factae essent, mutationibus aetate nostra libros scripserunt, ii uno fere consensu docent, inter veterum et recentium temporum poetas scenicos id vel maxime interesse, quod cum recentes poetae disiunctissima illa tragicae et comicae poesis genera in iisdem saepe fabulis maxima sive libertate sive licentia coniungere soleant, veteres illi tragici et comici poetae sua utriusque carmina ab omni alterius generis contagione semper integra defenderint. Nunquam enim eos seria et ioca simul egisse, nunquam eandem miserationi movendae et facetiis delegisse materiam, sed semper id maxime contendisse, ut suus utriusque generi in omnibus esset sonus, et quidquid conderent, ut *id simplex duntaxat esset et unum*. Nihil igitur illic molle et flebile inter comoediae cachinnos, nihil ridiculi inter lacrimas et gemitum tragoediarum. Omnibus enim tunc, ut Ciceroni, *tragicum in comoediis turpe, comicum in tragoediis risum esse vitiosum*.

Haec autem omnia licet magnam partem verissime disputentur, tamen non ita premenda sunt, ut nullas, sed ut paucas dent exceptiones. Sunt enim etiam in antiquis fabulis, quae ab hac regula et praescriptione discedant, et *seria*, ut ait Horatius, *ludo verterint*, sed sunt rarissima. Ut autem rarissima sunt, ita ad recte interpretandum semper fuisse videntur difficillima. Nec sane est, quod hoc miremur. Nam et propter actionum, personarumque ambiguas naturas, diversos mores, versicolores sermones ipsa interpretibus sunt satis lubrica, erratuque proclivia, et, cum nulla nobis in ullo litterarum genere praestantiora sint interpretandi adminicula, quam quibus simillima quaeque invicem sibi lucem afferunt, haec quidem, utpote quae rarissima paene solitaria sui generis sint exempla, omni prope hoc confinium, ut ita dicam, et vicinorum operum mutuo auxilio carent, et latissimum interpretibus aperiunt campum, quo omnis

commentorum libido libere excurrat atque exspatietur. Et ita quidem factum est, ut ne doctissimi quidem et sagacissimi ad interpretandum viri in his fabulis ab omnibus sibi erroribus semper satis cavere potuerint, sed haud raro vel ita in iis lapsi esse videantur, ut modo facetias serio acciperent, modo lamentationes non simulatas in ludicra traherent.

Insigne autem eius rei documentum est Euripidea illa fabula, quae inscribitur Alcestis. Quae postquam diu pro vera et germana tragoedia habita est, deinde pro tragoedia quidem, sed quae non satis ad artis praecepta esset composita, paulatim inter viros doctos, a Lessingii et Deninae opinionibus profecta, ea in dies magis increbruit sententia, qua ad aliquam satyricae fabulae similitudinem accedere putabatur. Jam vero vir ingeniosus, Hermannus Koechlius, novam denuo et antehac inauditam illa de fabula sententiam in actis illis literariis, quae Robertus Prutz edidit, paucis abhinc annis professus et argumentorum adiunctorum aliqua suppellectile probare atque instruere conatus est. \*) Opinatur enim, ut hic primum rem breviter et vocabulis, quae in arte scenica versantur, dicam, Euripidem hac quidem fabula spectatoribus primum ab oculos possuisse exemplar iustae cuiusdam et omnibus fere numeris absolutae *tragicomoediae*. — Neque casu quodam et fortuito id eum invitum quasi atque inscium composuisse, sed dedita opera et bene gnarum eius, quod faceret, periculi. \*\*)

In hac vero viri docti commentatione cum praeter novitatem sententiae etiam id animum meum teneret, quod princeps exemplar atque ipsas origines *eius* poesis scenicae in fabula Alcestide se reperisse auctor gloriaretur, quae ut *abiudicari* toti antiquitati diu solita, ita nuper coepta esset recentissimorum, quibus nos nunc maxime degimus, temporum rationibus ut praecipue idonea *adiudicari*, \*\*\*) operae pretium me facturum esse speravi, si oblata hac solennium scholasticorum opportunitate uterer ad examinanda ea, quibus illa Koechlii sententia niteretur, argumenta.

Itaque ut nostra disputatio iam ordiatur a brevi ipsius fabulae enarratione, satis notum est totam fere versari et verti circa voluntariam illam, cui pro Admeto uxor Alcestis se offerat, mortem. Incipit autem a prologo, in quo Apollo, gregum

\*) Literarhistorisches Taschenbuch von Robert Prutz. 1847. Die Alkestis des Euripides von H. Köchly. p. 359 sq.

\*\*) l. l. p. 366. Daß Euripides mit Bewußtsein und Schöpferkraft eine wirklich neue Kunstgattung des Drama (in der Alkestis) in's Leben gerufen hat, — dies zu erweisen ist der Zweck dieser Abhandl.

\*\*\*) cf. Ein Trauerspiel in Sicilien. Tragicomödie von Friedrich Hebbel. 1851. Sendschreiben an Röttscher p. 3.

Admeti pastor, domusque regiae divinus adiutor et patronus, arte sua effectum esse narrat, ut Parcae diuturniorem Admeto vitam ea conditione concederent, si quis vicariam pro eo mortem vellet subire. Omnes vero amicos, propinquos, quin etiam senectute prope confectos parentes, quominus his Admeti precibus satisfacerent, suae vitae studio atque amore esse deterritos, neque quemquam qui pro eo moreretur repertum esse praeter uxorem Alcestin. Atque iam adesse diem fatalem, quo Alcestidi de vita sit decedendum, et ne ipse mortui corporis contagione polluat, ex aedibus paulisper se esse abiturum (v. 1—26.)

Hunc prologum excipit breve Apollinis cum ipso iam adventante Orci rege et domino (*Θόλαρος* a poeta appellatur) colloquium, quo ille huic persuadere frustra conatur, ut Alcestidis quoque vitae etiam tum parcat, deneganti vero has preces praedicat, brevi fore ut victima illa, quam sic firmiter teneat, ab alio ei eripiat. (v. 27—76). Tum sequitur series quasi quaedam tristissimorum carminum, narrationum, querimoniarum per trecentos fere versus producta. In quibus postquam civium vicinorum caterva reginae aetate florentis praematuram mortem abunde lamentata est, et ancilla, quanta animi constantia Alcestis ad mortem obeundam se pararet, multis iis narravit, coniuges denique ipsi identidem ultimum se valere iusserunt, Alcestis, iam diu tabescens et moribunda, in manibus atque complexu Admeti extremum vitae spiritum edit. (v. 402).

Sed vixdum illa mortua est, cum subito Hercules, vetus Admeti hospes, peregre accedit, et a rege in medio luctu et moerore liberaliter exceptus (v. 475—561) in cubiculo hospitali epulis benigne tractatur. Plane ignarus eius calamitatis, quae tum maxime in regem ingruit, animo suo obsequitur. Admeto autem et pompae, qua mortua Alcestis deducitur, iterum supervenit Pheres, pater Admeti, cum ornamentis quae affert, ut funeri optimaе coniugis iusta solvat. Sed is a filio insolenter repellitur, et post turpissima iurgia filii et patris, timiditatem et nimium vitae studium et mortem Alcestidis sibi invicem exprobrantium, hic iratus discedit: funus effertur. (v. 615—740). Hercules vero, qui interea commisatione suum animum exhilaravit, iam famulum quoque, qui pocula ei morose ministrat, hilariter exhortatur, ut humana humane ferat et quamdiu liceat, vitae bonis et voluptatibus fruatur. Tum denique ille, hanc hospitis paullum appoti importunitatem aegerrime ferens, (v. 747) ei narrat, quam mortuam omnes lugeant, non peregrinam, ut opinetur, esse aliquam mulierem sed ipsam Alcestin. Quod quidem simulatque homo ille omnium audacissimus audivit, primum indignatione aliqua in semet ipsum exardescit, qui suis epulis et cantibus exsequiarum optimaе mulieris

honores et caeremonias violaverit, deinde apud animum fortissimum statuit illico expiare quidquid commiserit, et quae hospitis summae liberalitati debeat, eorum e vestigio ei gratiam referre (v. 870). Itaque, dictum factum, ad tumulum Alcestidis properat, et cum taeterrimo illo Orci, ut ita dicam, daemone manus conserit, et ereptam ex eius manibus Alcestin vivam Admeto restituit.

Iam vero ut extrema haec universae conformationis lineamenta satis docent, in hac fabula inesse quaedam, quae iustae tragoediae minus convenient, sic quisquis singularum in ea personarum partes et sermones diligentius excusserit, quae gravitati poesis tragicae aperte repugnare videantur multo plura deprehendet.

Sed hoc quidem et multi homines docti iam ante viderunt, et multa ad explicandam hanc fabulae illius naturam disputarunt. Quidquid vero hac de re et senserint et coniecerint, in eo nobis non esse acquiescendum praecipit Koechlius. Nam quod in hac fabula delicatulos illos Admeti mores\*) et contumeliosa eiusdem et patris convicia tam copiose et diligenter poeta descripserit, et passim tristia laetis temperarit, id eum censet fecisse neque ad relaxandos spectatorum animos, neque ad supplendos satyricae alicuius fabulae lusus, nec suis, neque aequalium studiis nimis indulgentem. Falli enim omnino eos et decipi, qui poetam, una alterave causa inductum, in hac fabula componenda a recto artis scenicae cursu paululum deflexisse et devio quasi quodam itinere aberrasse censeant. Summo contra summi ingenii artificio novum prorsus poesis scenicae genus in Alceste eum effinxisse, et generis illius novi princeps exemplar.

Quod quidem quemadmodum Euripidi contigerit quo facilius cogitatione informemus, vir ingeniosus in hanc fere sententiam disputare pergit.

Ex quo enim tragoediarum personae a sublimi illo Aeschyli quasi cothurno et mythorum epicorum magnificis exemplis paulatim descenderent et ad eorum hominum, qui tum essent, mores et sententias a poetis conformarentur, argumenta autem ea, quorum tractatio satyricis fabulis optime conveniret, a poetis trita, sensim obsolescere et spectatoribus aliquid fortasse taedii afferre coepissent, facile fieri potuisse, ut poeta aliquis, novatarum illarum tragoediarum exemplis motus, etiam in satyrorum et Silenorum locum novos quasi quosdam partium agendarum vicarios sufficere animum induceret, atque hos commode e *quotidianis illis civium plebeiorum circulis* sumi posse opinaretur. Fecisse autem hoc primum Euripidem et id quidem in componenda

---

\*) cf. Alcest. v. 328.

Alcestide. Nam ut in fabulis illis satyricis heroum epicorum personis tragicis adiungi soliti sint lascivi illi et procaces Silvani, sic in hac quidem fabula praestantissimae illi et vere generosae Alcestidis personae opponi atque conferri homuncolorum mentibus cogitationibusque siccorum et frigidissimorum gregem quasi quendam ridiculum. Eius enim farinae in ea esse personas plerasque, ut omnes cogitationes in res humilimas abiiciant, ut uno externarum rerum studio teneantur, ut unum denique agendi principium ducere soleant a *se diligendo*.\*) Universam porro fabulam ita et eo consilio a poeta esse adornatam, ut: *ubi vitae domesticae usu quodam et commercio familiari coniunctissimi homines tam diversi essent voluntatibus, consiliis et sententiis, ut alteri ad generosissimorum alteri ad frigidissimorum hominum genus referri deberent, quae ex summa hac naturarum discrepantia, conditionum autem et rationum vitae summa necessitate alterutri parti facile nascerentur fortunae conversiones et vicissitudines, eae scenice descriptae spectatoribus praeberent gratissimum et satyricae fabulae satis simile spectaculum.*

Lepidissimo denique lusu poetam singularum personarum partes ita esse moderatum, ut praestans illa et singularis, qua Alcestis ceteris antecelleret, natura, non modo non palmam ferret, vel saltem laudibus spectatorum ornata aliqua certe ex parte superior et victrix ex hac diversissimarum naturarum quasi contentione quadam discederet, sed ut sordidi isti et ignavi homunciones, quod et sibi ipsis optime prospexissent et etiam saluti reginae melius, quam ipsa sibi, consulissent, summo iure et ipsi gloriari possent, et ut plausum atque approbationem spectatorum reportarent meriti esse viderentur.\*\*)

Omnis autem haec Koechlii disputatio cum sit duplex, utpote qua vir doctus demonstrandum sibi proposuerit, et *facile fieri potuisse*, et *vere factum esse*, ut ab Euripide hoc carmen scenicum ad eam, quam modo descripsimus, formulam componeretur, illam alteram disputationis partem omnino integram in medio relinquemus. Non quo non et in ea inesse credamus quae iteratis explorandi curis indigeant. Immo, ut dicam quod res est, in omnibus iis, quibus e litterarum et rerum Attica-

\*) l. l. p. 388. Daß der Egoismus und Materialismus — von Admetos, Pheres, Herakles verschieden vertreten, auch in einzelnen Andeutungen vom Chor ausgesprochen, ja sogar dem Apollo und Thantos nicht fremd ist, zeigt die Analyse.

\*\*) l. l. p. 388. Nun aber ist der Humor des Stücks, daß keinesweges der Idealismus siegt und etwa den Materialismus beschämt, sondern umgekehrt, daß der Materialismus Recht behält, und nicht nur sich selbst, sondern sogar den Idealismus herauddreißt und rettet.

rum, quae Euripidis aetate fuerint, conditionibus efficere conatur, satis verisimile esse, ut poetae alicui tale quid tum in mentem venerit, ita quidem diversissimorum temporum mores, consuetudines, ingenia miscuisse mihi videtur, ut utrum maiore verborum, an sententiarum, in rebus antiquis diiudicandis inusitatarum, novitate usus sit, dictu sit difficillimum. \*) Neque enim tam delicata spectatorum fastidia, nec tam subtilia morum diligenter dignoscendorum studia, nec denique tot et tanta siccorum et frigidorum homuncolorum genera aut exempla iam tum Athenis viguisse atque increbuisse putamus, ut ibi illo tempore poeta aliquis iis, quas vir doctus afferat, rationibus a recepto theatrorum more deterreri, et ad subsidia illorum, quae laudet, inventorum confugere facile potuerit. — Sed hic omnis de *verisimilitudine* sententiae illius locus cum ita et per se conformatus et a Koechlio informatus sit, ut multo latius pateat, quam qui harum pagellarum angustiis commode comprehendi posse videatur, ad ipsam vero quaestionem, quae hic maxime agitur, idem sit levissimi momenti, aliorum eum arbitrio totum permittemus, et statim de ipsius Alcestidis conformatione quaestionem nostram instituemus.

Quo longius autem in superiore illa disputatione a viro docto discessimus. eo magis in hac eum sequemur ducem. Nam cum ad probandam suam opinionem duplici argumentorum in ea utatur genere, et extrinsecus allatorum et ex ipso carmine petitorum, his quidem multo plus quam illis tribuere videtur. Itaque ne eum quid ad libidinem suam sumsisse credamus, ante omnia id agit, ut e diligentissima quadam singularum partium et totius carminis lustratione et inquisitione legentibus tanquam sua sponte eadem illa sese offerat vel potius obtrudatur fabulae interpretatio, et ultro iis cum Alcestidis illa animi magnitudine fatuorum istorum, quos indagasse in hac fabula sibi visus est, appareant ineptiae.

Quam quidem quaerendi viam cum et nos maxime probemus, ut ille Euripidis, nos Koechlii, qua incesserit, vestigia diligenter persequemur, neque ab iis discedemus, antequam aut eodem, quo vir doctus, pervenerimus, aut ipse nos alio avocare videatur.

\*) I. I. p. 388. So mochte zu derselben Zeit das Interesse des Volks an den (verbrauchten) Satyrspielen und die Erfindungsgabe der Dichter sich in ihnen erschöpft haben. Da that Euripides, fußend auf der oben angedeuteten Wandlung der Tragödie, einen neuen Griff: an die Stelle der Satyrn und Silene setzte er aus dem eignen Kreise des gewöhnlichen Alltagslebens „die fadeften Personen“, mit denen er einen tragischen Charakter umgab, in Verührung und Wechselwirkung brachte. Das Wesentliche dieser neuen Gattung wurde der Conflict eines tragischen Charakters mit der Phylisterwelt der Gegenwart, der Gegensatz einer idealen Weltanschauung mit der fahlen, nüchternen Prosa des wirklichen Lebens.

Incipit autem diligentissimam illam fabulae inquisitionem ab ipso prologo. Nam etiam in eo signa quaedam et indicia indagasse sibi visus est, ex quibus appareret, in hac quidem fabula condenda Euripidem quidvis potius secutum esse, quam iustae alicuius tragoediae componendae leges et rationes. Quae autem in hoc prologo ita comparata investigavit, ea ad duplicem dubitationem revocari possunt. Primum enim in eo offenditur, quod Apollo, nihil aliud ut divini favoris munus in Admetum se contulisse fateatur, nisi huiusce vitae aliquantulum productam continuationem (v. 12); deinde mirari videtur, quod idem deus taeterrimo illi inferorum daemone non melioribus rationibus, ut Alcestidi parcat, persuadere conetur, quam earum rerum laudibus et commemoratione, quae *sub oculis positae percipi possint sensibus*. (v. 56 sq.) \*)

Praemunivit autem illas dubitationes hoc fere modo. Nimum enim quantum, monet, istum huiusce fabulae Apollinem, qui carissimis hominibus nihil praeter misellum huiusce vitae fructum paulo diuturniorem impertire sciat, distare et differre a Iunone illa apud Herodotum celebrata, quae permota Argivae cuiusdam sacerdotis precibus pios illos in matrem adolescentes placida morte, ut summo, quod hominibus contingere posset, bono bearit. Differre quidem utrumque et ipsi fatemur; sed ita quidem differunt, ut sexcenta in omnium gentium fabulis, diversissima illa pro temporum, studiorum, hominum denique in eodem populo summa varietate: non ut ea, quorum alterutrum si semel serio professi simus, alterum nisi per iocum et ludibrium nunquam amplecti possimus. Ita denique differunt, ut si quando altera harum sententiarum alteri, quasi optione data, plane esset praeponenda, iam diu ante Euripidem ipsum Solonem, hominem omnium Atheniensium longe sapientissimum, stetisse sciamus a partibus huiusce Apollinis Euripidei contra Herodoteam illam Iunonem. Quippe qui vitam Telli cuiusdam, civis Atheniensis, per longam annorum seriem honeste productam, subitis illis iuvenum mortibus ipse praetulerit, et illi quidem primas felicitatis humanae partes adiudicaverit, his adolescentulis secundas. Neque Euripidis aetate spectatores fuerunt tam ferrei et gladiatorii, ut nisi poetae tragici deos quasi quosdam silice natos iis spectandos repraesentarent, alterutros non serio agere, sed aut spectatores a diis illis, aut ipsos deos a poetis ludi atque irrideri illico suspicarentur.

\*) cf. l. l. p. 367. 368. Nisi si qui sunt, qui ex eo, quod Koechlius nomina illa *sancti et domini et fanuli*, quibus Apollo se et Admetum v. 10 appellat, maioribus formarum typis excudenda curaverit, (p. 366) coniciant ex his ipsis *sanctitatis* laudibus Koechlio praeterea aliquid suspicionis esse ortum, et tertium ergo aliquem viro docto in ipso prologo esse iniectum scrupulum. — Sed hoc suspicari mihi religio est.

Iterum vero Koechlius in eodem prologo notabile esse censet, quod idem ille, quem Euripides informaverit Apollo, atrocem inferorum dominum de nullis aliis rebus, quibus eius animum flectat, nisi de magnifico exsequiarum ornatu atque apparatu moneat (v. 56).\*) Quid tum? Diceret fortasse aliquid, si, quibus quis aliquando alios permovere conaretur, iisdem rebus et rationibus semet ipsum semper ab aliis facillime posse permoveri simul confiteretur. Quae quidem suspicio quantopere ab omni iudicii aequitate abhorreat, nemo est, quin videat. An cum Orci illud monstrum immanibus istis fabularum satyricarum portentis a viris doctis comparari soleat,\*\*) Apollini aut earum maxime rerum, quae neque oculis, neque auribus, nec sensu ullo percipi possunt, sed quas sola mente et cogitatione maxime complectimur, laudes et rationes erant proferendae, aut ipsi deo una cum isto daemone nimii cuiusdam rerum externarum studii subeunda erit suspicio atque infamia? Ne sycophantis quidem, nedum poetis Atticis id unquam moris fuisse credimus, ut crimina quantulacunque tanta suspitionis levitate confirmare conarentur.

Sed illa quidem esse levissima ipse Koechlius fatebitur. — Itaque ommissis his, non dicimus suspicionibus, sed suspicandi quibusdam prolusionibus a prologo iam ad ipsam fabulam transibimus. In ea autem, postquam dii illi a scena discesserunt, (v. 76) intrat chorus ex civibus vicinis compositus, et cantu lugubri instantem miserae Alcestidis mortem deplorans, aegritudinem, qua ipse angitur, tam flebilibus cantus lugubris modis proloquitur, ut ne ipse Koechlius quidem quidquam facetiarum ex iis eruerit praeter decantatam illam mortalium cantilenam: ita esse semel herbarum et hominum naturas comparatas, ut nullius herbae succus ulli homini certam aliquam possit suppeditare mortis medicinam.\*\*\*) Ad hanc vero agrestis sane simplicitatis sapientiam admodum popularem si quis forte subrideat, non Euripidi illam hilaritatem acceptam referat, sed ipsi Koechlio. Apud Euripidem certe nulla istarum herbarum fit mentio. Koechlius vero non hoc uno loco sed passim ea libertate incautius abuti videtur, ut quaedam facete dicta huius fabulae interpretationi interponat, et deinde doceat, Euripidea igitur ad hilaritatem excitandam aperte esse composita.†) Sed illo quidem,

\*) l. l. p. 367. Der Thanatos weiß diesen rein materiellen Grund mit der eben so richtigen als materiellen Folgerung ab sq.

\*\*) cf. Adolf Schöell, Beiträge zur Kenntniß der griech. Tragödie p. 3. Hartung. Euripides restitutus Tom. I. p. 231.

\*\*\*) l. l. p. 368. Für den Tod kein Kraut gewachsen ist.

†) l. l. p. 372. Für ihn (Almet) sei Lanz und Spiel vorbei. cf. Alcest. 340. p. 373. Bestelle mir unterdeß (in der Unterwelt) Quartier. cf. Alcest. 362. et id genus alia.



quem nunc tractamus, loco e viri docti sententia facetiae fortasse omnino non sub his accessitis *herbis* latent, sed in ipsa illa, quam boni homines profiteantur, moriendi necessitate insunt, quippe cuius praeter chori personas in hac fabula et aliae modo bene memores sint, modo mirum in modum obliviscantur. Itaque earum socordia vel credulitas saepius a Koechlio tecte carpitur,\*) quod cum praeclare intelligant, ab Alcestide mortem non amplius evitari posse, deos tamen et ipsam Alcestin precibus fatigare non desinant, ut diutius hac luce frui et inter suos vitam porro degere ei libeat et liceat. Nos vero, ut una opera plures res assequamur, hac prima oblata opportunitate totum locum expediemus. Primum igitur ponamus, rem ita, ut Koechlius eam informet, se habere, et Alcestidi mortem perinde fuisse fatalem, ac nobis sit, ideone preces illas statim ridiculae cuiusdam socordiae indicia habebimus? Quidni testes animorum commotiorum? Quid est autem facilius, et levius, quam verba commotius dicta notare, et restinctis, ut ait Cicero, animorum incendiis irridere? Sed illic quidem hac excusatione non opus est. Omnis enim illa mythica fabula, ex qua haec manavit sive tragoedia, sive tragicomoedia, satis ab illa fatali necessitate remotas ponit temporum hominumque conditiones. Quid quod in ipso huius fabulae prologo Apollo spectatores de hac temporum diversitate commonuit,\*\*) in exitu ipsa Alcestis, postquam mortem obiit, ope Herculis valens et integra Admeto restituitur? Quid denique, quod ipsa illa vicaria et voluntaria Alcestidis mors arcte apta et nexa est ex quodam Iovis consilio,\*\*\*) quo post permultos homines Aesculapii arte et medicina e morte resuscitados

Pater omnipotens — ut ait Virgilius —

Ipsa repertorem *medicinae talis et artis,*

Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas? †)

Ita quidem tantum abest, ut scintillulae illae alicuius spei vel speculae, quas in summo luctu interdum fovere videntur, huiusce quidem fabulae personis invidendae et ludibrio exponendae sint, ut ne *herbarum* quidem *istarum* mentionem, quam nullam fecerunt, si quam maxime fecissent, derisui iis deberemus interpretari.

Sed iam redeamus eo, unde paululum deflexit disputatio. Finitis igitur illis chori cantibus (v. 140) ex aedibus Admeti ancilla egreditur, et, postquam de Alcestide multa ad animos miseratione commovendos aptissima narravit, sciscitantibus de

\*) l. l. p. 369 et 370 ad v. Alcest. 219. 249.

\*\*) cf. Alcest. v. 13.

\*\*\*) Alcest. v. 4, v. 17.

†) Virgil. Aeneis VII. 770.

Admeto respondet, quantam fortunae faciat iacturam, regem post mortem demum uxoris penitus esse perspecturum (v. 156). Denuo haec miratur Koechlius. Doloris scilicet gravitatem certe non impedimento fuisse, quominus imminentis calamitatis plenum onus iam tum plane cognosceret. Nequaquam certe ullius tristitiae magnitudine eum esse prohibitum, ne iam tum ante mortem Alcestidis ad exsequias aliquando rite duccendas curam ipse susciperet comparandorum funebrium vestimentorum. \*)

Sed eadem hoc loco admirationis offensionisque ratio, quae supra. Neque enim, quod ei tecte exprobrat, ipsum regem id commisisse ullo loco ancilla narrat, \*\*) neque etiamsi rei illius procurationem aliquam in se recepisset, id a Koechlio quidem, Admeto vitio verti deberet. In ipsa enim illa commentatione, de qua hic quaerimus, satis tuetur Hecubam illam Euripidis a multis saepe reprehensam fabulam, eiusque causam, ut primum aliqua opportunitas data fuerit, pluribus et copiosius se esse acturum pollicetur. \*\*\*) Iam vero Euripides in ea quidem fabula ipsam Hecubam, omnium, quae unquam fuerunt reginarum, matrum, coniugum longe miserrimam, post tot acceptas regni, rei familiaris, libertatis, liberorum iacturas, ubi primum de nuper immolata carissima filia, Polyxena, certior facta est, nugarum istarum, quas Koechlius ludit, ornamentorumque in filiolae mortuae honorem colligendorum facit studiosissimam. †) Ergo aut ipsam illam doloribus cruciatam ac paene confectam matrem eiusdem indolentiae et lentitudinis animi insimulet, quam in Admeto carpit, aut huius certe culpae crimine, cuius omnis suspicio non e poetae versibus sed ex accusatoris acumine orta est, etiam Admetum absolvat, praesertim cum ei, etiam hoc crimine liberatus, plurimis praeterea nominibus gravissimorum criminum reus maneat.

Hic paulisper insistemus, ut quo interea nostra et Koechlii disputationes processerint, et quid utraque profecisse videatur, circumspiciamus. Iam per ducentos fere illius fabulae versus ††) tam diligenter eum, qua praeivit, sumus secuti, ut omnes eius suspensiones eodem ordine, quo proposuisset, nobis esse examinandas putarem.

\*) l. l. 368.

\*\*) cf. Alcest. v. 148. Chorus: οὐκ οὐν ἐπ' αὐτῇ πράσσεται τὰ πρόσφορα;  
Ancilla: Κόσμος γέτομος ᾧ σφε συνδάψει πόσις.

\*\*\*) l. l. 390. †) cf. Hecuba Eurip. 610.

††) Alteram igitur fabulae dimidiam partem iam perlustravimus, in qua, cum in v. 402 Alcestidis mors incidat, diversarum illarum naturarum discrepantia et contentio apparere debuisset, si eam maxime poeta sibi in hac fabula illustrandam proposuisset.

In omnibus vero, quas adhuc excussimus, etsi nonnihil, quod cum aliqua specie, nihil tamen quidquam, ut dicam quod sentio, quod accurate et explorate disputatum esset, adhuc deprehendere nobis visi sumus. Itaque, siquidem ex parte delibata de tota commentatione aliquam certe coniecturam facere licet, posthac subtili illa minutatim singula quaeque explorandi et putide refellendi molestia supersedebimus, neque amplius ab omnibus fabulae personis omnes defendemus etiam hebetiorum pugioncolorum ictus levissimos. Satis habebimus gravissima quaeque, quae disperse de primarum partium personis disputavit, colligere, et num prioribus illis firmiora esse videantur quaerere. Ordinem autem a criminibus, in quae commodum incidit disputatio, a Koechlio in personam Admeti collatis. — Quae quidem, ut id primum moneam, cum sint plurima et gravissima, tum magna ex parte, nec primum a Koechlio, nec temere a multis Admeti illius reprehensoribus doctissimis mota esse mihi quidem videntur. \*) Koechlius vero ex eo Admeto, in quem etiam ex aliorum sententia aliqua ignaviae, mollitiae, delicatarum ineptiarum suspicio vel nota non iniuria conferri videbatur, frigidum praeterea officiosi cuiusdam doloris, madentem lacrimis, effingit simulatorem, \*\*) et sordidum in exercenda hospilitate quasi cauponem quendam, \*\*\*) et in summo, quod profitetur, vitae taedio ridiculum, ut ita dicam, ludium et histrionem, uni honestatis

\*) cf. Euripidis Alcestis cum delectis annotationibus — accedunt emendationes Godofredi Hermanni, Lipsiae 1824. Proemium p. VIII. „In Admeto praeter amorem coniugalem „pietatemque erga hospites nihil est, quod laudare, nedum admirari possimus. Quin indignum videri facinus potest, quod hic tam amans uxoris suae pro se eam mori patitur .... „Tantum abest, ut invenerit Euripides, quo augetur dignitatem Admeti, eam ut etiam minuerit, inepta dicentem, facientemque parum virilia introducens.“ — Quam severam de illis Admeti partibus sententiam ex quo vir amplissimus tulerit, nullum equidem fuisse virum doctum scio, qui eius acerbitati quidquam detrahere conatus sit praeter Hartungum, nimis cupidum illum omnium Euripideorum carminum defensorem (Hart. Euripid. restitutus. Tom. I. 217 sq.); complures qui quasdam eius partes etiam in maius auxerint. (cf. Glumii dissert. de Euripidis Alcestide p. 54 sq. Euripidis Alcestis, recognovit Augustus Witzschel. Jenae, 1845. Proem. XIX).

\*\*) l. l. p. 372. ad Alcest. 328—337. Woven Alkestis kein Wort gesprochen, von treuer Liebe bis über das Grab, das hebt Admet fast in moderner Weise, aber in gespreizten, pretiösen Ausdrücken hervor. Sehr natürlich! Er will Alles thun, damit sie beruhigt stirbt, und nicht etwa das Opfer zurück nimmt.

\*\*\*) l. l. p. 375. ad v. 553—560. Unser Admet ist selbst in der höchsten Trauer ein berechnender und überlegender Mann. Der Chor entsetzt sich über die That des Herrn: Bei solchem Unglück wagst Du Freunde aufzunehmen? Da antwortet er aber, indem er sich auf seine Schlaubeit ordentlich was zu Gute thut: Würdest Du mich loben, wenn ich ihn abge-

alicuius, qua sibi et aliis fucum faciat, speciei inservientem \*): eum denique ex Euripidis Admeto effingit hominem, qui, ut aiunt, vix pilum probi hominis habeat.

His autem criminationum atque criminum fluctibus cum totus Admetus paene mergi atque obrui videatur, percommode accidit, quod qui eum in hunc gurgitem intrusit, ne eo hauriatur, ipse suo consilio atque opera nos adiuvat. Nihil enim de omnibus istis novis rebus contra eum monebimus, nisi quod in commentatione illa ipse contra Goethium, lepidamque illam, qua is Admeti Euripidei causam quondam egerat, fabulam \*\*) iam monuit. Laudat carmen illud facetiarum plenissimum, eius ope a Goethio demonstratum esse fatetur, *fieri quidem potuisse*, ut a poeta *aliquo* partes satis honestae *sic informato* Admeto in *aliqua* tragoedia agenda traderentur: ab Euripide vero eas partes in fabula Alcestide Admeto *traditas esse*, id quidem omnino non a Goethio esse demonstratum. De omnibus enim illis causis honestissimis, quibus hic eum esse permotum finxerit, ut dilectissimae coniugis vitae suam praeferret salutem, legi apud Euripidem *ne verbum quidem*. \*\*\*) — Simillimam autem in re dissimillima ipsius Koechlii esse censemus rationem; et quidquid de Goethiana illa Admeti informatione monuerit, mutato nomine id in ipsum valere. *Potuisse* turpissimum aliquem et vere comicum Admetum ab aliquo poeta depingi et repraesentari, id quidem ab eo probatum esse; †) non, ab Euripide in Alcestide fabula eius personam re ipsa ita esse derisam. Nam neque de criminibus illis et ridiculariis, quae ipse primus ex hac fabula eruisse sibi videatur, quidquam fere apud Euripidem legi, sed

wiesen? Mein Unglück würde dadurch nicht geringer werden, und ich würde zu anderm Unglück auch noch das erleben, daß mein Haus in den Ruf der Ungastlichkeit käme. Und wenn ich selbst einmal nach Argos komme, finde ich an diesem den besten Gastfreund. — Nun, das ist doch deutlich, dächten wir.

\*) l. l. p. 272. ad Alc. 358. Admetos wird je komischer, je mehr er seiner gemeinen Natur die Zügel schießen läßt. „Wenn ich Dyrheus Stimme hätte,“ — sagt er, — „um Dich“ — natürlich mit gehöriger Sicherheit, — zu holen aus der Unterwelt, da würde ich hinuntergehen.“ l. l. p. 382. ad Alc. v. 915: Jetzt kehrt Admet (vom Grabe) mit den Leidtragenden zurück. Seine Klagen können nach dem Vorhergehenden, und nach dem tiefen Blick, den wir in seine Seele geworfen, nur komisch wirken. Am Besten ist es aber weiterhin, wenn er dem Chor zuruft: warum hast du mich gehindert, mich in's Grab zu stürzen, und mit ihr, der Besten, entseelt da zu liegen, daß der Hades zugleich zwei Seelen erbeutet hätte.

\*\*) Götter, Helden und Wieland. 1774.

\*\*\*) l. l. p. 373.

†) Iam veteres poetae comici id bene sensisse videntur, si quid ex eo conicere licet, quod complures comoediae antiquae nominibus Alcestidis atque Admeti fuisse inscriptae dicuntur.

longe plurima ab ipso Koechlio *concludendis ineptiis* clam esse invecata et furtim quasi importata.

Breviter haec ieci; ipsa enim patent; neque, cum res ipsa loquatur, quemquam credo iis magnopere esse oblocuturum. Nam ne ipsum Koechlium quidem sua locorum supra allatorum interpretatione usurum fuisse pro certo affirmaverim, nisi, antequam *apparere* in iis nugas illas, quas perstringit, *crederet*, iam ei *persuasum fuisset, fieri omnino non posse*, quin talia in hac fabula *alicubi laterent*. Neque hoc levi aliqua coniectura inducti suspicamur, sed ipsius viri ingenui testimonio permoti locupletissimo.

Nam cum fateatur, sibi quoque videri difficillimum, ut ex ipsa huius fabulae interpretatione et conformatione a nobis intelligatur, quid consilii in ea componenda Euripides maxime secutus sit, \*) tum nuper a Dindorfio editum esse docet fragmentum aliquod didascalicum, in bibliotheca Vaticana asservatum, quo edoceamur totius fabulae omnem colorem et tenorem *non posse quin* magna ex parte aliquam fabulae alicuius satyricae vel comoediae referat similitudinem. \*\*) Sed id quidem est, si quid video, ipsum illud fateri, quod posuimus: ex hoc scholio, non ex ipsa fabula repetendam esse illam Admeti notationem, et descriptionem morum: hinc emanasse *concludendis ineptiis* omnes illas antehac incognitas atque inauditas eius sordes, vel certe primam earum suspicionem. — Neque vero nos, cum haec subsidiorum interpretandi aliunde arcessendorum ratio et in omni interpretationum genere sit diu et vulgo recepta et saepe necessaria, viro docto, quod ea usus sit, dummodo recte ea utatur, utique crimini dabimus: nec nobis quisquam vitio vertet, quod edocti de origine, ex qua et Admeti et aliorum apud eum crimina profluxisse videantur, relictis illis Koechlianae interpretationis atque insimulationis rivulis, iam ad caput ipsum et fontem, ut ita dicam omnium illorum malorum adscendamus.

In hac autem, ad quam nunc accedimus, disputatione de scholii illius Vaticani argumento et fide, cum aliqua nobis brevitatis ratio habenda sit, missis ambagibus non hic primum subdubitabimus, ubi de ipsius poesis scenicae interna agatur natura, quam qualis

\*) l. l. p. 365. Weiter (als Hermann) konnte vor Entdeckung jenes Scholions kaum Jemand gehen.

\*\*) l. l. p. 361. Dindorf hat zuerst ein Scholion mitgetheilt, das, gehörig und consequent benutzt, ein ganz neues Licht auf die Tragödie und den Dichter selbst zu werfen verspricht. Ibid. p. 366. Wir erfahren aus demselben (Scholion) — — daß das Stück seiner Anlage, seinem Gange und seinem Ende nach mehr den Charakter eines Satyrspiels, wohl gar einer Komödie tragen mußte.

esset ipsi Graecorum summi poetae magis *sensisse* quam *intellexisse* dicantur,\*) quantum ibi scholiorum illorum iudiciis auctoritatis tribuendum esse videatur? Quantamcumque eorum statuat esse fidem, nos certe non habebit adversarios, dummodo vir doctus, ut praecipit, ipse *constanter* iis utatur, et dummodo ne ipse secum pugnet. Quod quidem ipsum an omnino fecerit, equidem vehementer dubito. Quid est enim quod cum alteram scholii illius partem tam cupide amplexetur, alteram omnino negligat et relinquat? \*\*) Quid est quod scholio illi id quidem credat, *relatam esse* Alcestin inter fabulas satyricas, *cur* autem et *quacum* alia fabula eodem relata sit, eiusdem illius scholii testimonio omnino non credere videatur? An docebit vir doctus in Orestem fabulam eadem valere, quae de Alcestidis forma praeceperit? \*\*\*) Id ne conaturum quidem virum doctum fidem meam interponere audeo. At, inquit, neque illius neque aliorum scholiorum testimoniis idem editur de utraque harum fabularum. In altera enim *conversio* tantum *actionis* (ἡ καταστροφή), in altera omnis totius fabulae *conformatio* (ἡ κατασκευή) aliquo modo comica fuisse traditur. Alterum igitur altero multo latius patet. — Ergo ex *unius* †) vocis auctoritate certissimi illius testimonii et novi illius fabularum scenicarum generis pendebit omnis fides et firmitas. Pendeant sane ex ea, dummodo eius indicio tanquam firmo aliquo fundamento nitantur. Nihil vero minus. Atque in eo quidem Koechlii licentiam miror, quod hoc unum scholion ceteris, quae ex antiquitate ad nostra tempora pervenerunt, testibus tanto-pere praetulerit, ut huic maxima quaeque crediderit et tribuerit, reliquis nihil omnino fidei atque auctoritatis in hac quidem quaestione existimarit esse concedendum. An hac de re praeter illud scholion nulla esse veterum testimonia affirmabit, aut leviora

\*) Alcestitis, edid. Godofr. Hermannus Proem. p. VI.

\*\*) Scholion Vaticanum. — — — ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλανκίνου ἄρχοντος τὸ ἰ': πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφίδος, Τηλέφῳ, Ἀλκίσιτιδι· τὸ δὲ δράμα κομῖ κοτιέραν ἔχει τὴν κατασκευὴν· — συνέστηκε δὲ ὁ χορὸς ἐκ τινῶν πρεσβυτῶν ἐντοπίων· ... τὸ δὲ δράμα ἐστὶ σατυρικώτερον, ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν καταστρέφει· παρὰ τοῖς τραγικοῖς ἐκβάλλεται ὡς ἀνοικία τῆς τραγικῆς ποιήσεως ὅτε Ὀρέστης καὶ ἡ Ἀλκίσιτις, ὡς ἐκ συναφορᾶς μὲν ἀρχόμενα εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν καταλήξαντα· ἐστὶ δὲ μᾶλλον κωμωδίας ἐχόμενα.

\*\*\*)) Quod praetermittere nunc etiam minus ei licebit, ex quo constat Orestem fabulam eundem in tetralogia aliqua locum obtinuisse, quem Alcestin. cf. Hartung. Orestes. Lipsiae 1849. Proem. p. V.

†) Atque ex eius quidem vocis, cuius integritatem ipse primus scholii editor addubitavit. cf. Eurip. Alcestitis edidit Augustus Witzschel. Jenae 1845 p. 1. κατασκευὴν in καταστροφήν mutari potest. G. Dindorf.

tantum, aut omnia ita comparata, ut iis cum Koechlio de illa scholii Vaticani interpretatione bene conveniat? Immo sunt et satis multa, et partim scholio illo longe graviora, et gravissima quaeque sic constituta, ut non solum interpretatione illa *non opus* \*) esse, sed ei *ne locum quidem ullum esse relictum* aperte doceant et luce clarius demonstrant. Nam siquidem gravissimorum ipsique Euripidi aequalium testium iudiciis distinctis plus, quam viri grammatici alicuius narratiunculæ ambiguae \*\*) debetur fidei atque aucto-

\*) Quam levibus permoti rationibus viri illorum temporum grammatici etiam multo graviora interdum, quam hoc fragmentum didascalicum, de Euripide generum poesis scenicae perturbatore quodam docuerint, testimonio sunt, ut exempla laudem, scholia, quæ Cobetius edenda curavit. cf. Phoenissae Euripidis, edidit Jacobus Geelius. Scholia — adiunxit C. G. Cobetius. Lugduni Batavorum 1846.

ad Andromach. 22. *Οἱ φαίλους ὑπομηματισάμενοι ἐγκαλοῦσι τῷ Εὐριπίδῃ φάσκοντες ἐπὶ τραγικοῖς προσώποις κωμῳδίαν αὐτὸν διατεθεῖσθαι· γυναικῶν τε γὰρ ὑπονοίας καὶ ἀλλήλων καὶ ζήλων καὶ λοιδορίας καὶ ἄλλα ὅσα εἰς κωμῳδίαν συντελεῖ τὰ ταῦτα ἀπαξάπαντα τοῦτο τὸ δῶμα περιεληφέναι etc.* — cf. Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1848. 5. p. 467.

\*\*) Non animus mihi quidem est fragmenti illius auctoritatem, quam ipse magnam esse iudico, debilitare atque infringere; sed cum haud sciam an praeter Koechlium et alii viri docti eius fidei nimium quid addixerint, levem aliquam, quæ mihi de eo nata est, suspicionem hic breviter attingam. Nam quod in eo chorus Alcestidis fabulae *e senibus compositus fuisse* dicitur (cf. scholion Vaticanum p. 16), ne et recepta multarum fabularum consuetudo et prava versus 212 interpretatio scholii illius scriptorem in errorem aliquem induxerint, non sine causa vereri mihi videor. Praetereo enim, quod choreutae ipsi neque in hac fabula unquam *senes* appellantur, sed viri, hospites, cives; (v. 493. 616) neque unquam de senibus loquuntur sine brevi *senectutis, canorum, senilis infirmitatis* aliqua, qua curam, vel reverentiam suam testentur, commemoratione: (v. 483. 485. 621. 717. 918.), neque id premo, quod Euripides eos, si *senes* finxit, ad unum omnes finxit *coelibes*. Adeo enim omnis matrimoniorum conditionis, viduitatis, orbitatis eos exhibet expertes ut quidquid de his rebus sentiant, aliorum exemplis se didicisse monitos, nihil suo usu expertos esse saepius fateantur. (243. 918.) Levia illa sint, ut sunt, quamquam graviora sunt ambigua unius versiculi interpretatione. (v. 212. *σὺ δ' εἶ παλαιὸς δεσπότης ἐμοῖς φίλος*). Nam inter veterem amicum et senem multum saepe interest. — Sed mea quidem dubitatio uno tantum loco movetur, versibus: 473 — 475. Sunt ii versus, in quos desinit naenia quam chorus in honorem mortuae Alcestidis canit. Naeniam dicimus, non carmen epithalamium; in honorem mortuae Alcestidis, non in recens nuptae gratulationem; decantatam a choro. Scholii vero illius auctor docet a choro *e senibus composito*; hominibus scilicet, si non aetate decrepitis, gravibus tamen, severis, tristibus. Versus igitur illi in reginae commodum mortuae honorem decantati a senibus nimirum illis gravibus in haec vota excurrunt: Utinam nobis quoque aliquando talis contingat uxor! Euge, quam securam et hilarem nobiscum deget vitam. (Vers. 473. *τοιούτας εἴη μοι κῆρσαι — συνδνάδος φιλίας ἀλόχου — ἢ γὰρ ἔμοιγε ἀλπιος δὲ αἰῶνος ἂν ξυρείη.*) — Quae quidem vota aetate provectorum senum, utrum nimis iuvenilia an nimis puerilia sint appellanda dubito. Koechlius certe eorum uti debuit luculento testimonio: Euripidem proposuisse

ritatis, actum de ea est: nam summa illa\*) necessitudo quam ipse Euripides esse voluit fabulae Alcestidi cum iis, quibuscum coniuncta erat, tragoediis; et maxima quae inter eam et fabulam Orestem intercedit, *similitudo*;\*\*\*) et Aristotelis, quod de hac fabula

nobis in choreutis Silenorum imagines quasdam indiscretae similitudinis! Candidus tamen homo, qui omnia caetera vestigia leporum Euripideorum in hac fabula tam acriter indaget, in his quidem versibus nihil quod reprehendat, nisi nimia quaedam sui studia, offendere sibi videtur (l. l. 375.)

De altero quodam eiusdem scholiastae in eodem scholio errore cf. Welckeri, Die griechischen Tragödien et Tom. I. p. 345

\*) Cum enim constet, tragoedias illas tres, quibuscum Euripides fabulam Alcestin coniunxisset, ita a poeta fuisse compositas, ut in singulis hospitalitatis modo religiose cultae, modo impie violatae, rationes, laudes, praemia, poenas, cum feminarum et pessimarum et optimarum quibusdam exhibitis exemplaribus copularet, in Alcestide vero item cum optima coniugis optimi hospitis laudes summae coniungantur: vix dici potest quantopere abhorreat ab omni verisimilitudine Koechlii illa opinio, ita in hac fabula eas esse interpretandas ut alteras serio, alteras ironice et in derisum laudatarum personarum dictas esse credamus. cf. Schöell, Beiträge zur Kenntniß der tragischen Poesie der Griechen. p. 130. sq.

\*\*\*) Ut supra vidimus e scholii illius Vaticani argumento fabulas Alcestin et Orestem iam antiquis temporibus ad eandem poesis scenicae classem esse revocatas, eundemque utramque in duabus tetralogiis obtinuisse locum (cf. p. 16 \*\* et \*\*\*): sic earum in non paucis sententiis sensibusque exprimendis tanta est consensio, ut interdum ex altera in alteram quaedam paene transscripsisse poeta videatur nihil vero minus probabile sit, quam haec simillima ab eodem poeta in altera fabula dicta esse ad movendam miserationem, in altera ad excitandam hilaritatem. Unum tantum locum afferam, quo intra viginti tres Orestis fabulae versus (Orestes v. 1007 — 1030) quatuor versus Alcestidis partim iisdem fere verbis repetiti leguntur.

I. Orestes: v. 1007. ζῆν ἔχοῖν σ' οὐκ εἶ. Electr.

Alcest. 379. ὅτε ζῆν χοῖν ἀπερχομαι καίω. Alcest.

II. Orest. v. 1012. τόδ' ἡμᾶς ἡμῶν κῆριον. Orest.

Alcest. v. 105. καὶ μὴν τόδε κῆριον ἡμᾶς. Chorus.

III. Orest. 1012. δεῖ δ' ἢ βρόχους

ἄπειν κρεμαστοὺς ἢ ξίφος θήγειν χροῖ. Orest.

Alcest. v. 229. ἄρ' ἄξια καὶ σφαγᾶς τάδε,

καὶ πλέον ἢ βρόχῳ δέρον

Οὐρανοῦ πλάσσαι. Chorus.

IV. Orest. 1030. καὶ μνημῆα δεξαίθ' ἐν, κέθρον τεχνάσματα. Electr.

Alcest. v. 365. Ἐν ταῖσιν αὐταῖς γὰρ μ' ἐπισκήψω κέθροις. Admet.

Neque hoc ita dictum esse volumus, quo non iisdem verbis et sententiis saepe locum esse putemus et in serio dictis et in iis quae poeta scenicus cum aliqua ironia personis suarum fabularum in earum irrisionem, ut ita dicam, in os ingesserit; sed tot, tam nullo coloris discrimine distinctas, earumdum sententiarum repetitiones in fabulis tam diversis, ut Koechlius eas informet, inveniri posse id quidem quam maxime negamus.



Oreste tulit iudicium;\*) et Aristophanis facetiae, quibus hanc aequae atque ceteras Euripidis fabulas cavillatus est,\*\*) uno, ut ita dicam, ore atque consensu illi viri docti opinioni repugnant ac reclamitant, eamque fabulam neque a poeta ipso, neque ab aequalibus, neque omnino in novum, neque maiore ex parte in comicae poesis scenicae genus aliquod esse relatum firmissimis argumentis et rationibus docent.

At, inquit, quid fiet tum de hac Euripidis Alcestide? (l. 365) Sollicitus scilicet de poetica Euripidis virtute, cuius, credo, de laudibus aliquid detrahetur, si non omnes eius fabulae perinde ad artis praecepta factae et perfectae esse videbuntur. Sollicitus maxime de huius Alcestidis forma atque conformatione, cuius quam ante informarunt viri docti ambiguum sane atque ex libidine poetae inter iusta poesis scenicae genera intercalatam quasi formam, prae glorioso, quo eam ornavit, novae cuiusdam, certis legibus consiliisque adstrictae, artis nomine atque ostentatione contemnit. — Ad hanc autem viri docti quaestionem respondere possum: Viderint alii.\*\*\*) Gloriat

\*) cf. Aristotelis de arte poetica. cap. XV., quo quidem loco Aristoteles de fabula Oreste utique ut de tragoedia sententiam fert. Ex iis quae commodum disputavimus de rationibus, quae inter Alcestem et Orestem intercedant, nobis certe persuasum est, eodem modo de Alcestide, ut tragoedia minus perfecta, eum iudicium fuisse dicturum.

\*\*\*) De tectae illius significationis et cavillationis, qua Aristophanes etiam Alcestem Euripidis fabulam, ut ceteras tragoedias, irrisit exemplis, cum editores Aristophanis iam diu monere soliti sint, ad eos de universa re lectores remittam. Tres tantum versus hic afferam.

cf. Acharnen. 893. *μηδὲ γὰρ θανάων ποτε σοῦ χωρὶς εἶην ἐντετευλανομένης.*

cf. Alcest. 367. *μηδὲ γὰρ θανάων ποτε*

*σοῦ χωρὶς εἶην τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί.*

II. Thesmophor. 194. *χαίρεις ὄρων φῶς, πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;* Eadem verb. Alcest. 691.

Praeterea mihi quidem etiam in avib. 1244. *πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα*

*ταυτὲ λεγούσα μορμολύττεσθαι δοκεῖς;*

*ἄρ' οἴσθ' ὅτι Ζεὺς et sq.*

ludere satis aperte videtur vers. illos ex ipsis Pheretis et Admeti conviciis:

— — *τίν' ἀγχεῖς, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα*

*κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυροάνητον σέθεν;*

*οὐκ οἴσθα Θεσσαλον etc.*

Hos autem versus ideo maxime laudavi, quod mihi quidem testes sunt locupletissimi, et Aristophanem et spectatores partes Admeti quoque, quin etiam maxime desperatam illam scenam, in qua pater et filius mutuis conviciis obruantur, ut serio adumbratas interpretatos, neque quidquam in iis facetiarum illarum Euripidearum, quas Koechlius celebrat, esse odoratos. Nam quid et puerilius et frigidius, quam carpere alterius verborum pompam atque ampullas in iis, quae ipsum ludentem atque iocantem effudisse sciamus?

\*\*\*\*) *Vidisse* eos iam satis equidem affirmare non ausim. Quae enim Hartungus, vir doctis-

eras in Alcestide te investigasse princeps tragicomoediae alicuius inter Graecos exemplar.\*) Id ipsum cum ego quaererem hanc fabulam evolvi. Frustratus es expectationem meam: transacta atque confecta est mea quidem cum Alcestide res.

Sed ne prae magna illa, qua Koechlius fucatam suam Alcestin instruxit, pompa atque incessu superbo inconcinnior illa Euripidis Alcestis pudens quasi porro in publicum prodire verecundetur, ea quae de Koechlii universa fabulae illius informatione disputavimus, (p. 7) paucis quibusdam praeterea supplebimus additamentis; ut quantopere de speciosi illius apparatus damno, quod fabula esse factura videatur, nobis sit dolendum, satis appareat.

Itaque cum supra *de contentione illa diversissimarum naturarum* vir doctus strictim nos edocuerit, in qua describenda fabulae summam verti censeret, (p. 7) nunc videamus sententiae illius interiora. Quaeremus igitur primum, *quinam* sint frigidi isti atque insulsi homines, inter quos dicat Alcestin in hac fabula versari? tum *quales* sint, et quibusnam *cognitionis notis* ab hominibus frugi discernantur? deinde, *cuinam*, vel quibusnam praestantioribus personis esse collati atque ut contrarii contrariis oppositi dicantur? denique *quisnam* ex hac, quam dicat, singularum personarum et partium conformatione totius fabulae, actionisque *progressus* atque *exitus* effici videatur?

Primum igitur: quaenam sunt frigidae istae, quas dicit, atque insulae fabulae illius personae? Supra docuit (p. 6) in satyrorum seu choreutarum, quos dicunt, locum eas ab Euripide esse suffectas. Horum igitur, credo, partes maxime tuebuntur, et in chori carminibus praecipue spirabunt istorum nebulonum studia humillima atque ineptiae? Immo, rarissima Koechlius in iis quidem nequitiae illius indicia deprehendere sibi visus est: praeter eum nunquam quisquam ulla. At potuit in alios poeta eorum similitudinem transferre. Potuerit; in quos igitur transtulit? Nusquam Koechlius hoc definite docet. Ad calcem commentationis disputatio eo decurrit, ut primas eorum Admetus, Pheres, Hercules agere dicantur: rara quaedam eiusdem humilitatis in cho-

---

simus, hac de re in Orestis proemio (Orest. edict. Hart. 1849) disputavit, aequae atque haec Koechlii interpretatio, ad arbitrium esse sumpta mihi videntur.

\*) Quod fabulam Alcestin, quam Koechlius informavit, ad tragicomoediarum genus referendam esse censemus, non opus esse videtur, ut huius nominis et sententiae rationem pluribus verbis comprobemus. Dummodo enim, quae protulit, recte essent disputata, tum nihil quidem foret certius, quam eas et comicarum et tragicarum personarum in ea coniunctas esse partes, quibus in nullo nisi tragicomoediarum genere scenico simul adumbrandis locus esset.

reutis, et daemone illo inferorum atque Apolline apparere signa atque indicia. (cf. quae annot. p. 7\*\*). De Apolline atque Admeto vidimus; ex iis in plerosque valet conclusio. Discernendis enim nebulonibus maiorum, ut ita dicam, et minorum ordinum nihil egerit. Aut sint, aut ne sint: alterutrum necesse est. *Si sunt*: videat per quot hominum et deorum ab antiquis celebratorum vitas et naturas eadem ista, quam perstringit, frigida et sicca serpat animorum exilitas. *Si non sunt*; quorsum abibunt summae illae laudes, quibus honesti illi et dii et homines in hac fabula saepe praedicant istos, quos dicit, levissimorum atque improbissimorum satyrorum et Silenorum vicarios?

Utrum vero sint, necne? ipse certe diiudicare debet: nos non audebimus. *Cognitionis* enim notis, quibus discernantur ab hominibus probis, utitur aut subtilissimis aut nullis. Nam quod frigidus istos homines eos docet esse, qui nullo pietatis, honestatis, conscientiae pudore et reverentia, sed una *sui* cura moveantur, et in solis huiusce vitae bonis animos defixos habeant, id quidem cum ratione et specie aliqua disputatur, sed habet cautiones plurimas. Praesertim ubi hac lege metimur Graecorum res et fabulas Euripidis. Quomodo igitur hunc locum cogitatione sepsit et circumscripsit? Quantum equidem assequor, omnino nullo. Immo, ita per totam fabulam in aucupio quodam istius, quem sexcenties dicit, „materialismi“ et „egoismi“ grassatur, ut quaecunque in ea appareant vel optimarum rerum studia, ea, dummodo cum aliqua sensuum vel hominum delectatione coniuncta sint, ab eo, paene dixerim, ut *paria peccata*\*) his nominibus notentur. — Neque ne id quidem ex eius sententia ad rem quidquam refert, utrum qui iis bonis se delectari fateantur, ea laudibus tantum efferrant, an honestatis officiis praeferant? Omnes perinde contemnere, nulli parcere videntur, — ne sibimet ipsi quidem. Nam cum et ipse interdum *cupiat se esse clementem*, et aliquam laudis cupiditatem in praestantissimis hominum naturis non solum condonandam, sed etiam requirendam esse censeat, idem alio loco *se ipse huius inertiae condemnat*, et eandem laudis cupiditatem, quam alteri personae, nisi deesset, in laude se esse positurum fatetur, alteri, quod in ea inest, crimini dat et vitio vertit.\*\*)

Sed nesciamus, et *quinam* sint, et *quomodo* ab aliis discernantur homunciones isti; *cuinam* tandem, vel quibusnam fabulae illius personis ut contrariae opponuntur? Nempe Alcestidi, erunt fortasse qui exspectent. Sed ne boni illi homines in hac ex-

\*) cf. vota, quibus parentes futuram liberorum salutem amplectuntur l. l. 371, laudes quibus matrimonii felicitis beata conditio celebratur l. l. p. 372.

\*\*\*) cf. 372. et 381. quas de Alcestide et Hercule fert sententias.

spectatione specie aliqua honestatis decipiantur, vehementer vereor. Nam cum iam hoc satis sit suspiciosum, quod frigidam illam atque ieiunam sententiam, quam omnes paene huius fabulae personae in agendo sequi dicantur, una Alcestis libere atque aperte profitetur; \*) tum quod ipse Koechlius concedit ipsam quoque Alcestin iisdem istis, quibus reliquos, *sui* studiis interdum teneri in ipsoque mortis momento eam cum marito aliquam quasi nundinationum exercere, et cum eo pacisci, ut quantum fieri possit, par pari referat, in his quidem omnibus in manifesto ut aiunt scelere comprehenditur.\*\*\*) At tum Alcestis eodem, quo ceterae illius fabulae personae tenebitur crimine: eadem omnium erit mediocritas et tenuitas animorum, vel summum gradu,

\*) I. I. p. 371. Das Leben ist der Güter höchstes doch! *ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἔστι τιμιώτερον* v. 308. Mit diesem bestimmten Wort, auf welches, wie wir sahen, Apollo schon zu Anfang hingedeutet hat, (!) — spricht Alkestis den Grundsatz aus, von welchem alle Personen des Stückes, sie allein ausgenommen (!) bewegt und geleitet werden. — Miram nobis vir doctus narrat Euripidis artem, qua, de quibus spectatores edocere voluerit, ea ipso proferendi atque enuntiandi modo simul celaverit. Iam vero cum nihilominus eius acumini contigerit ex hac una vocula, quam aegre ex ore moribundae Alcestidis excepit, tot conclusiunculas extricare, quid de Orestis fabulae personis fecisset, quarum et generosissimae et tenuissimae passim eandem vel simillimas profitentur sententias?

cf. Orest. 623. — — ἦν ψυχὴν ἐμὴν

σώσης, ἄπειρ μοὶ φίλταθ' ἔστι τῶν ἐμῶν.

cf. v. 658. 1474. 1488.

\*\*\*) I. I. p. 371. Alkestis kennt die Größe ihres Opfers: sie hätte leben, hätte einen andern Mann heirathen, glücklich und mächtig sein können; sie hat es nicht gewollt. Darum fordert sie von ihm eine Günst, die freilich dem Opfer nicht entspricht, denn „das Leben ist der Güter höchstes doch!“ u. — Alkestis, obwohl selbst (von Egoismus und Materialismus) frei und darum die einzig wirklich tragische Figur, ist sich (?) doch dieses Standpuncts vollkommen bewußt. Darum verlangt sie, gleichsam als Folge eines Tauschcontracts vom Gatten, er möge sich nicht wieder vermählen. Warum dieß? Nur (!) um der Kinder und ihrer materiellen Wohlfahrt willen, daß sie nicht von einer Stiefmutter mißhandelt werden.

Eod. I. Der Abschied schließt mit einem Selbstlobe. „Der Gatte könne sich rühmen, die beste Gattin gehabt zu haben“ — —: eine Äußerung, welche zwar nach antiker Weise ganz natürlich und am Ort, doch fein andeutet (!), daß auch Alkestis nicht frei von einem (allerdings ganz edlen) Egoismus bei ihrer Handlung gewesen ist, indem ihr dabei, wenn auch nur vorübergehend der Gedanke an Nachruhm vorgeschwebt hat. Daß dieß so sei (!) zeigt die oft wiederkehrende Pointe, sie sei das beste Weib! Ergo, cum omnes fabulae personae de summa Alcestidis virtute ita consentiant, tantisque, totiesque repetitis laudibus absentem, praesentem, vivam, mortuam efferant laudibus, quantae vix in ullam aliam cuiuspiam fabulae personam apud veteres cumulatae sunt, (cf. chori praeconia: v. 83. 144. 227. 228. 234. 425. 705. Admeti 418. 863. Pheretis 578. 851. Herculis 787.) in ipsa haec virtutis praemia Koechlius suspicionem confert, et ut vanitatis male simulatae indicia prave interpretatur.

non genere different. Atqui in ipso illo, quod primo Koechlius statuerat, morum atque animorum summo intervallo, quo ceteris Alcestis antecelleret, ipsam fabulae illius summam esse positam vir doctus docuerat. Sublato igitur illo discrimine omnis eius iacebit doctrina, et ipse se suo, ut aiunt, gladio ingulaverit, ipse suis se compunxerit acuminibus. Neque id fugit cautum et providum hominem. Itaque modo detexta paulo post idem retexit, et quam modo manifesti convicerat maleficii, denuo omni alicuius suspicionis crimine eam absolvit;\*) et sic quidem per tot discrimina rerum integram aliquando nobis restituit utramque Alcestin, et coniugem et fabulam: illam ut praestantissimi animi mulierem, hanc ut aliquam *contrariarum contrariis oppositarum naturarum scenicam, ut ita dicam, palaestram*. (cf. p. 7).

Quam quidem, novi scilicet alicuius generis scenici primam et principem fabulam, si ideo per tota saecula generis illius unum et solum exemplar mansisse vir doctus doceret, quod cum primum Athenis data et docta esset, explosa atque exsibilata esse videretur, hanc eius suspicionem equidem minime omnium mirarer. Nam ut sint multa in Alcestide, quibus qui iustam tragoediam exspectet, offendi posse videatur; multo plura omnino intoleranda iis in ea se obtrudent, qui e Koechliana illa doctrina eam aestimare voluerint. Exspectabunt facetias:\*\*) deprehendent in plerisque aut nullas, aut tam rapidas et subtiles, ut non solum antehac ingeniosorum hominum acumina effugerint et luserint, sed ut etiam nunc nobis, licet de earum aculeis moniti simus, enixe annitendum sit, ne etiam nunc nos ludant atque effugiant. Exspectabunt frigidorum et siccorum hominum cum aliqua hilaritate depictas imagines:\*\*\*) deprehendent aut nullas eorum effigies, aut imaginem aliquam vel frigidissimis homuncionibus ipsam frigidiorum. Exspectabunt Davos:†) nisi qui ipse alter quidam est Oedipus, nullus homo investigabit ullum. Exspectabunt lepidissimum fabulae exitum:††) invenient aliquem ad movendam spectatorum indignationem aptissimum. †††) Exspectabunt de-

\*) l. l. p. 388. In ihrem Idealismus hat sie gar keine Ahnung, weil kein Erkenntnisvermögen für den sie rings umgebenden Materialismus und Egoismus.

\*\*) p. 387. Da sagt Herkules die Farce lustig zu schließen —

\*\*\*) p. 374. Admet ist ein echter Lustspielcharakter.

†) p. 377. Darum bescheidet sich der Chor in seinem beschränkten Unterthanenverstand, daß Admet recht gehandelt habe.

††) cf. p. 7.

†††) Es folgt demnach nach Shakspeare, daß es **unwahr** und **unkomisch** ist, wenn in der Komödie die sittliche Schwäche und Gemeinheit, die s. g. Lebensklugheit oder der selbstsüchtig prosaische Verstand (über die bessere Natur) den Sieg erhält. Ulrici: Shakspeare's dram. Kunst. 1. 324.

nique fabulam alicuius poetae, qui generum scenicorum ea docenda exstiterit amplificator; reperient omnis poesis atque artis scenicae corruptorem quendam atque ever-  
sorem.\*)

---

Quae cum ita sint, et omnis haec Koechlii commentatio cum magna argumen-  
torum levitate decretorum maximam licentiam coniungere videatur, mihi quidem per-  
suasum est, quantacunque eius fabulae recte interpretandae sit difficultas, omnes ta-  
men, qui ei operam suam navare voluerint, interpretes illa viri ingeniosi coniectura  
multo facilius atque commodius esse carituros quam usuros.

---

\*) Haec non ita disputata esse volumus, quo credamus poetis non licere fabulae alicuius exitum  
ita temperare, ut homuncionibus plebeiis triumphus quasi quidam de generosis, praestanti-  
busque naturis decernatur. Hoc et fieri posse et factum esse concedimus. Sed cum omnis  
poesis scenica vitae et morum humanorum specula quasi quaedam ob oculos nobis ponat,  
nulla fabula plausum spectatorum merebitur, quae omnes honestatis sensus aperte irrideat  
atque cavillettur. Itaque poetae, qui talem fabulae suae exitum comparat, utique res ita  
erit instituenda, ut utrinque in utraque, ut aiunt, librae lance aliquid praeterea imponatur,  
quo et praestans ille alterius partis animorum nisus aliquantum deprimi, et frivola alterius  
partis levitas ponderis aliquid accipere videatur. Neutrum hic esse factum Koechlius docet,  
sed merae, ut ita dicam, virtuti meram oppositam esse ignaviam.

---